



30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-26.

SIGNAT. ciobcccxiij.

Stückzettel erled.
11. XII. 1944.



DISPUTATIONUM ETHICA-
RUM XIIIX. & ultima. 93

De

SUMMO BONO
THEORETICO
ET PRACTICO.

Quam

DEO TRIUNO ANNUENTE.

In Incllyta & celeberrima Academia V Vitteberg.

P R A E S I D E

Clarissimo & Excellentissimo Philosopho

Dn. JACOBO MARTINI, HALB:

Logices & Pract. Philosoph. Pro-
fessore publ.

Defendet ac propugnabit

MARTINUS THURINGUS
Furstenbergâ Megalburgicus.

Ad diem 5. Novemb. Horis locoq; solitis

WITTEBERGÆ,

Ex Officina Johannis Gormanni.

ANNO clō. lōc. XIV.

DISPUTATIO
DE

SUMMA

Ethica Nicom. Arist.

2
Nicom. ethicorum propositio. Arist.

Thesis I.

De virtutibus
L. B.

Abbe quod beatitudinis habitus ultimus locus in
L. B.

Thesis I.





DISPUTATIO XIIX.

De

SUMMO BONO EX X.

Ethicorum Nicom. Arist.

Continuatio.

SEquitur nunc ultimo, ut quædam de Felicitate adhuc cum Philosopho ex lib. 10. Ethicorum Nicom. potissimum proponamus, atq; ita totam hanc tractationem Ethicam concludamus.

Thesis I.



Agit autem Philosophus bis in primo & postremo libro Ethicorum Nicomachiorum de Beatitudine, propterea quod finis in actionibus duplicem habeat respectum & considerationem: unam ratione principij, ut nimirum agentem movet ad actionem aliquam suscipiendam: alteram ratione extremi, ut agens actionem suam ad eum dirigit, ac in eodem terminat.

II.

Adde quod Beatitudinis consideratio ultimo loco in Ethicis proposita, sit non tam Boni practici, quam Theoretici, quod secundum mentem est, consistatq; in contemplatione rerum divinarum & celestium.

▲ 2

3. Ut

III.

Ut enim omnis motus est propter terminum & quietem: ita quoque actio politica, quæ motus aliquis est, tandem in termino & quiete quadam suam perfectionem obtinet.

IV.

Quæ nihilominus & ipsa *ἐνέργεια* quædam est, si enim in universum verum est, Beatitudinem non ponendam esse in solo habitu, sed operatione: utique & hæc Theoretica consistet in operatione, eaque per se experenda & seria.

V.

Est enim bonum hoc *ἀυτάρκεια* seipso Contentum atque Perfectum, adeo ut neque ad aliud adhuc referatur, neque ullo alio bono, extra se ad sui majorem commendationem indigeat.

VI.

Est etiam seria hæc operatio non ludicra: quia vir bonus serias actiones præfert ludicris: quia summum bonum in re ludicra esse nequit: quia virtus, secundum quam vita beata est, res seria est: quia per se serias actiones præstantiores sunt ludicris; beatitudo autem est bonum optimum: quia tribuitur præstantiori homini, nempe viro bono, & præstantiori parti hominis, nimirum rationi: quia si beatitudo in actionibus ludicris consisteret, cum servorum vita esset beatissima: quippe qui etiam in ipsis laboribus ludunt & jocantur.

VII.

Est autem seria illa & per se experenda *ἐνέργεια* contemplatio rerum præstantissimarum & pulcherrimarum, cujusmodi sunt res divinæ ac æternæ earumque causæ & principia.

VIII.

Et proficiscitur hæc à sapientia, quæ mentis tanquam præstantissimæ partis præstantissimus est habitus, uti id facile liquet ex disputatione undecima.

IX.

Ut autem operatio & contemplatio hæc ex optimo fluit habitus: ita quoque omnium humanarum operationum est præstantissima, adeoque ultima, in qua merito præstantissimum hominis bonum collocatur.

10. Ra.

X.

Rationes sunt in promptu & manifestæ. 1. quia est in præstantissima hominis parte, nempe mente sive intellectu, 2. quia absq; defatigatione & molestia diutissimè potest conservari & continuari. 3. quia jucundissima est, tum propter sinceram, & constantem voluptatem: tum propter rerum pulcherrimarum scientiam. 4. quia non eget externis, adeoq; αὐταρκής & se ipsa contenta est. 5. quia ἀπλῶς propter se expetitur: 6. quia est tranquilla & quieta, minime laboriosa.

XI.

Unde conficitur, hominem maximè debere vitam Theoreticam expetere: quia homini maximè propria, divinaq; vita similis: quippè per quam homo maximè vivit secundum istam partem, quæ in eo est optima, & per quam maximè homo est; nempe secundum mentem.

XII.

Objicis: Hominem mortalem duntaxat mortalia curare debere: in divina & æterna non inquirere?

XIII.

Procederet objectio, si homo tantum esset mortalis: Verum quia hoc non est; sed secundum præstantissimam partem, mentem, immortalis existit; ideo maximè secundum eam debet vivere, ejus bona inquirere, à mortalitate se quasi vindicare. Sic enim erit Θεοφιλέστατος & ἑυδαίμονέστατος, Deo carissimus & maximè beatus.

XIV.

Unde porrò infertur Beatitudinem Theoreticam præstantiorem esse Practicâ.

XV.

Rationes sunt: Quia θεωρία est solius mentis ἐπέγεια: At mens est divinum quid: Ergo etiam θεωρία, tanquam mentis propria. Contra verò vita practica dicitur humana: quia circa actiones externas est occupata, quæ ad humanas necessitates pertinent, civilemq; societatem: quæ corporis sunt adminiculo, conjunctaq; cum affectibus sunt.

A 3

16. Deina-

m & quietem
randem in termi
ociner,
m est, si enim in
endam esse in solo
a consistet in ope
rentum atq; Per
neq; ullo alio bo
ndigeat.
quia vir bonus le
onum in re iudica
deara est, res lena
ludicris; beaitu
præstantiori ho
minis, nimirum
s confiliteret, tum
in ipsis labori
ἐπέγεια contem
rum, cujmodi
incipia.
ris tanquam præ
ci id facile liquec
ex optimo fluit
tionum est præ
tissimum homi
10. Ra.



XVI.

Deinde vita Theoretica nullis alijs indiget seipsa contenta:
Vita contra practica multis alijs rebus & bonis externis indiget.

XVII.

Tandem primaria causa, cur hominibus non brutis beatitudo tribuatur, est *θεωσια*: qua quidem Dij perpetuò se oblectant: homines vero quatenus Deus similem vitam degere cupiunt. Unde quod *θεωσια* inbruta non cadat ipsis omnis beatitudo denegatur.

XVIII.

Adde, quod sola beatitudo Theoretica in Deos cadat. Actiones enim virtutum moralium in eos non cadunt: quod ad eas obeundas opus sit moderatione affectuum, item corporis ministerio & bonorum adminiculo: Quae tria secundum Philosophum Dij propriè tribui nequeunt.

XIX.

Hactenus ergò sufficienter explicatum esse confido, quomodo vita verè beata rectè instituenda sit: verùm nuda hæc cognitio non statim virum bonum constituit & absoluit.

XX.

Ratio est, quia vir bonus magis in actione, quàm cognitione consistit: quia experientia testatur, multos bonam quidem habere virtutis cognitionem, adeò ut de ea & acutè disputa. e. & verba copiosè facere possint; nihilo tamen esse meliores.

XXI.

Tria igitur ad virum bonum efficiendam requiruntur:
Natura, Doctrina & assuesctio sive educatio.

Arist. lib. 10. Ethic. Nicom. cap. 9. & lib. 7. polit. cap. 13.

XXII.

Natura quidem. Nam licet virtus moralis nobis naturè non (a) insit: ipsa tamen habilitatem & aptitudinem homini tribuit, per quam redditur aptus & idoneus ad virtutem capessendam, Quæ ubi negatur, habitus nullus generatur.

(a) *Lib. 2. Ethicor. Nicomach. cap. 1.*

XXIII.

Doctrina. Nam cognita virtutis natura, præstantia & utilitate: facilius ad illius amorem & studium homo allici & persuaderi potest: Sic intellecta vitiorum turpitudine, deformitate & noxa, facilius absterri & abstrahi patitur.

XXIV.

Multum tandem ad habitum virtutis acquirendum conducit educatio & assuefactio. Nam hac neglecta reliqua duo, Natura & Doctrina, non multum poterunt prodesse.

XXV.

Qui enim malè sunt instituti & educati, adeoque malis moribus & falsis opinionibus infecti, veras rationes vel non intelligunt, vel certe monentem & docentem audire non sistent.

XXVI.

Quocirca ut natura perficiatur, doctrinaque sit usus, ingenia & animos bona institutione informari & præparari prius oportet, tanquam terram, inquit eleganter Aristoteles, ad concipienda semina, quæ præculta alioqui pro fructibus lolium & avenas sit editura.

Lib. 10. Ethic. Nicomach. cap. 9.

XXVII.

Educatio sive institutio est duplex: Publica & Privata.

XXVIII.

Privata est, qua singuli privatim in aliqua familia ad virtutem & bonos mores instituuntur.

XXIX.

Huic præest Paterfamilias, aut is, qui ius personam sustinet.

XXX.

Publica institutio est, qua multi vel etiam omnes, qui in eadem sunt Civitate autoritate publicâ ad virtutis studium, publicæ honestatis & utilitatis gratia instituuntur.

XXXI.

Huic præest Magistratus publicus.

XXXII.

Ad utramque institutionem sive disciplinam requiruntur
Leges

Leges. Quare si institutio est necessaria: 'Ergò' & leges'. Ratio: quia fieri nequit, ut absq; bonis legibus bona sit institutio.

XXXIII.

Ratio rationis: Nam bona institutio & affuefactio absque certa descriptione & ordine, & absq; necessitate quadam & vi & imperio neque recta aut vera esse potest neq; efficax. Rectam namque institutionem facit recta ratio & bona descriptio sive ordo; efficacem, vis & imperium: quæ duo in lege reperiuntur; quæ nihil aliud, quam mens seu recta ratio.

Arist. lib. 10. Eth. Nicom. cap. 9. Cice. lib. 1. de ll.

XXXIV.

Et profectò hæc duo in adolescentibus continendis esse necessaria, ordinem & imperium, ut quorum magna alioqui sit licentia, neq; facile monitis contineri possint, ijsq; durum sit servare & temperanter vivere, est perspicuum.

XXXV.

Imò non tantùm pueri sive adolescentes, sed viri quoque, imò omnis ætas suis legibus regenda & informanda est, adeoque institutio ad omnem ætatem & vitam pertinere debet.

XXXVI.

Et si enim prima puerorum institutio ad reliquam ætatem magnum adfert adjumentum; tamen quia & multæ postmodum corruptelæ ac depravationes accidere possunt, ac pleriq; necessitate potius & imperio, quam rationibus aut monitis regantur ac parent; præstat profectò, ut cuique ætati sua sint studia & instituta, sive leges.

Videatur Isocrates in Areopagitico, Plato in Republ. sua & legibus. Aristotel. in polit. lib. 7. & 8.

XXXVII.

Hic nihilominus ratio personarum habenda est. Nam boni, boniq; indole præditi & benè jam educati, rationibus ad virtutem & honestatem cohortandi sunt: quippè qui bona educatione præparati, facile sint obtemperaturi: Mali verò & improbi, siquidem sanari possunt, & ad frugem revocari, legibus seu imperijs

perijs ac minis eò producendi sunt: fin minus, morte affiendi
& prorsus exterminandi, tanquam pestes & morbi (d) Nam mor-
tem horum solam esse medicinam inquit Plato (e)

(d) Plato in Protagora, (e) lib. 12. de ll.

XXXIX.

Vult ergò Plato cum benè educatis legum Scriptores tan-
tùm hortationibus & monitis agere debere. Quod an secundum
Aristotelem & Veritatem probari possit, dubitant nonnulli:
Cum legum vis & proprietas non est hortari sed imperare: Hor-
tationesq; sunt Philosophorum, imperia, jussa & vetita, legum
scriptorum.

XXXIX.

Verùm salva res est. Puto ego, leges habere duplicem re-
spectum: Formalem & Materialem. Formalis est, quo leges
dicuntur tales: atq; hoc modo tantùm præcipiunt & prohibent,
conjunctamq; ἀπλῶς vim habent. Materialis est, quatenus sen-
tentiam virtutis in se continent, & norma rectitudoq; vitæ cu-
juslibet, etiam boni, esse possunt. Quomodo etiam secundum le-
ges hortationes institui posse quis dubitet?

XL.

Formalis ergo legum ratio consistit in præceptione & vi
cogendi: quam habent partim ab autoritate virorum pruden-
tium, qui castulerunt & sanxerunt: partim etiam propter præ-
mia, quæ pollicentur obedientibus & pœnas, quas transgressoribus
minantur.

XLI.

Ceterùm quemadmodum duplex est disciplinæ sive edu-
cationis ratio: una publica, altera privata: sic quoque leges aliæ
publicæ sunt, quæ communiter ad omnes, qui in Republ aliqua
vivunt, pertinent: aliæ privatae, quæ cujuslibet domus ac familiæ
propriae sunt:

XLII.

Non verò omnium eadem vis & ratio est. Publicarum
præcipua vis est ad cogendum etiam invitos, ut paveant, propter
publi;

*Summo illi legislatori, Deo nostro, soli sa-
pienti, & immortalis, soli perfectissime beato,
soli omnis sapientiae, pietatis ac bonitatis au-
tori & fundo, sit laus & gloria seculis
nunquam terminan-
dis.*

F I N I S.





*Ad Doctissimum, & Humanissimum Amicum
meum integerrimum.*

Dn. Respondentem.



*ergone bella moves Cupidus concurrere telis?
Bella nec ignoras, qualia damna creent,
Indicis multis, & tu tamen expetis ultrò
Solutus, nec metuis agmina, quanta sient.
Discrimen magnum! verum tu suscipis illud
Quod tamen Hercules non potè ferre labor
Et verum, si vera velis; Ast tanta recusas,
Cædem qua spirant, vulnera, quæq; parant.
Cellebrius restat illis certamen, in illud
Lingua ruens avidè differuisse cupit.
Hic animo forti pugnandum, hic fortiter instas,
Et clypeo cispelle ejaculata tuo.
Hic tibi Dux astat armatus ad omnia quæq;
Atq; Stagyraæ miles in arte catus.
Martinides; tuò poteris quo præside doctas
Aggredier pugnas, vincere quæq; voles.
Perge modo cæptis, sic prælia victor inibis
Et tandem miles Hercule major eris.*

**Johannes Stojus
Delicio-Misnicus.**



Umg. VI 26

= [Dissertationes
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17



ONUM ETHICA-
XIX. & ultima. 93

De
LO BONO
DRETICO
RACTICO.

Quam
NO ANNUENTE.
ima Academia V Vitteberg.

ASIDE
cellentissimo Philosopho
MARTINI, HALB:
act. Philosoph. Pro-
ore publ.

t ac propugnabit
S THURINGUS
gâ Megalburgicus.
emb. Horis locoq, solitise

EBERGÆ,
Johannis Gormanni.

clo, loc, XIV

